The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus acta contra Fortunatum (fol.4rb-va)

1. Hoc est solum quod dicitur malum. uoluntarium nostrum peccatum. et aliud genus mali quod est pena peccati.

   nam omnia deus et bona fecit, et bene ordinauit; peccatum autem non fecit et hoc est solum, quod dicitur malum, uoluntarium nostrum peccatum. est et aliud genus mali, qui est poena peccati.

   Augustinus Hipponensis, *Contra Fortunatum disputatio*, 15 (CSEL 25.1, J. Zycha ed., p.91, ll.21-24).

2. Cum oporteat non necessitate. sed uoluntate bonum esse oportebat ut deus anime daret liberum arbitrium.

   cum ergo oporteat non necessitate, sed uoluntate bonum esse, oportebat, ut deus animae daret liberum arbitrium.

   Augustinus Hipponensis, *Contra Fortunatum disputatio*, 15 (CSEL 25.1, J. Zycha ed., p.92, ll.7-9).

3. Si liberum arbitrium non dedisset deus. iudicium puniendi nullum esse posset. nec meritum recte faciendi. nec preceptum diuinum. ut ageretur penitentia de peccatis. nec ipsa indulgentia peccatorum.

   quod liberum arbitrium si non dedisset deus, iudicium puniendi nullum iustum esse posset nec meritum recte faciendi nec praeceptum diuinum, ut ageretur paenitentia de peccatis, nec ipsa indulgentia peccatorum, quam nobis deus per dominum nostrum Iesum Christum donauit, quia qui non uoluntate peccat, non peccat.

   Augustinus Hipponensis, *Contra Fortunatum disputatio*, 20 (CSEL 25.1, J. Zycha ed., p.98, ll.5-10).

4. In actionibus nostris antequam consuetudine aliqua implicemur. liberum arbitrium habemus faciendi aliquid. uel non faciendi. cum autem ista libertate fecerimus aliquid. et facti ipsius tenuerit animam perniciosa dulcedo. et uoluptas eadem ipsa sua consuetudine sic implicatur. ut postea uincere non possit. quod sibi ipsa peccando fabricata est.

   hodie namque in actionibus nostris antequam consuetudine aliqua inplicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid uel non faciendi. cum autem ista libertate fecerimus aliquid et facti ipsius tenuerit animam perniciosa dulcedo et uoluptas, eadem ipsa

consuetudine sua sic inplicatur, ut postea uincere non possit, quod sibi ipsa peccando fabricata est.

Augustinus Hipponensis, *Contra Fortunatum disputatio*, 22 (CSEL 25.1, J. Zycha ed., p.104, ll.6-12).